



1. Budder (Joh. Franc.)
Epistola in novcentam
quorundam Ministrorum
Ecclesie in Silesia
vindicanam spectans.
1723.
2. Bücher (Christ. Friedr.)
theres orthodox &
1702.
3. Chladeny (Mart.) diff.
sistem. deumaxiam ex
consilio Gamahelis cavon.
Jam, Wittenb.
1718.

8
DE
ODIO DEI
ADVERSUS ESAVVM,

AD LOCA
Rom. IX, 13. Genes. XXV, 23. & Mal. I, 3. 4.

A
JO. MARCKII, ALIORUMQUE CORRUPTELIS
VINDICANDA
PRÆSIDE

DN. SALOMONE DEYLINGIO,
SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESS. PUBL. ORD. CAPITULI
CIZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE, NAT.
MISNICÆ SENIORE, AD D. NICOLAI PASTORE
ET SUPERINTENDENTE,

PATRONO AC PRÆCEPTORE PERPETVO
HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

IN AUDITORIO THEOLOGORUM

AD D. XXV. JANUAR. A. R. S. MDCC XXIV.

AUCTOR RESPONDENS

M. JOANNES Gottlieb Hoffmann/
SORBIGA-MISNICUS, S. S. THEOL. CULTOR
PUBLICE DISPUTABIT.

L I P S I Æ,
TYPIS ANDREÆ MARTINI SCHEDII.

Tit. Jhuo Hoffmann
Dr. theol. Cultor

DE
ODIO DEI
ADVERSUS ESSAVVM

DE LOCALI
JO. MARCELLO ALIQUINONE CORNIPETITIS

DE SALOMONE DEYLINGIO
CIVIS RAVENNAE, CONSISTORII ASSASSORIS, NAT.
MENSES APRILIS ANNO 1610

PATRONE AC RECTORIS PAVLINO
HONORIS CAUSA PROSQUENDO

IN AUDITORIO THEOLOGORUM
ADD. IN ECCLESIA S. STEPHANI
AUCTOR RESPONDENS

M. JOHANNES GÖTTLICH
SORDIGAMINENSIS THEOLOGUS
AC THEOLOGUS

LIT. II
TYP. ANDREAE MARTINISCHIEDII



PER-ILLUSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO DOMINO,
DOMINO
CHRISTOPH. JOBST
DE ZANTHIER,
POTENTISSIMI POLONIARVM
REGIS
SAXONVMQVE ELECTORIS
MINISTRO STATVS,
IN SANCTIORI SENATV CONSILIARIO,
ET RELIQA,
DYNASTIARVM FRAVENHANII, PRA-
TOVIÆ, SCHRENTZ, SIEGELSDORF.
FII &c. DOMINO,
DOMINO SVO LONGE GRATIO-
SISSIMO, MÆCENATI SVMMO, PATRONO
MAXIMO, PROMOTORI SVBMISSO OBSERVANTIÆ
CVLTV ÆTATEM PROSEQVENDO,
SVSPICIENDO,

DEVOTISSIMA MENTE
AVSPICIUM NOVI ANNI FAVSTISSIMVM
ET
OMNIA PROSPERRIMA

A

DEO OPTIMO MAXIMO
APPRECATVR

ATQVE

EXERCITIVM HOC ACA-
DEMICVM

UT

HVMILLIMÆ PIETATIS SVBMISSIONISQVE
MONVMENTVM,

PATROCINIO IPSIVS SVMMO

SE UNA CVM STVDHS

OMNI SVBIECTIONE ANIMI

PORRO

COMMENDATVRVS,

D. D. D.

SVBIECTISSIMVS ELIENS

IOANNES Gottlieb Hoffmann.

ORNATISSIMO CLARISSIMOQUE
HVIVS
DISSERTATIONIS AVCTORI
DNO. M. IOANNI GOTTLIEBIO
HOFFMANNO

SACRARVM LITERARVM CVLTORI ET AVDITORI SVO
PER INDVSTRIQ


S. P. D.

PRÆSES.

Recta & genuina S. Scripturam interpretandi ratio non exiguam in quarvis Theologiae parte praestat utilitatem. Neque enim vera Spiritus S. sententia satis intelligi, aut erui confirmarique potest, uti par est, nisi a subsidiis Hermenevticis instructus, & diuturno eorum usu exercitatus sis. Nec minus ea valet in refellendis adversariorum corruptelis. Isti enim ut animo, praecudicatis opinionibus obfesso, ad literarum diuinarum lectionem accedunt, & oculo quasi fascinato oracula sacra contemplantes, placitorum suorum argumenta ubiq² se inuenisse sibi blandiuntur, ita Scripturae loca misere torquent, & eo rapiunt, quo minime pertinent. Luculenta huius rei exempla praebent controuersiae

versae cum Pontificiis agitatae. Nec desunt
eiusmodi exempla in Reformatorum Doctorum
scriptis. Eorum enim permulti illustrissimis di-
ctis magno studio offundunt tenebras, eademque
ita fingunt & detorquent, ut admissis istis cor-
ruptelis, decreti absoluti commentum, aliquae er-
rores, patrocinium aliquod nanciscantur. Re-
cte igitur facis, NOBILISSIME DOMINE
MAGISTER, quod eiusmodi S. Scripturae loca
Tibi sumsisli vindicanda, quae malorum inter-
pretum iniuriis valde obnoxia haecenus fuerunt.
Cumque in huius Dissertationis elaboratione non
exiguam demonstraveris sacrarum literarum
& purioris Theologiae peritiam, multaque alia
doctrinae Tuae privatos inter parietes, meis sub
auspiciis, exhibueris documenta, & nunc etiam
in conflictu publico exhibiturus sis, gratulor Tibi
ex animo, Deumque precor, velit gratia sua au-
xilioque perpetuo Tibi adesse, & illustres excitare
Patronos ac Promotores, quo uberrimos aliquan-
do industriae Tuae fructus, cum gloriae Divinae
amplificatione, & Ecclesiae salute conjunctos, col-
ligere possis. Scribebam Lipsiae, d. VII. Iduum
Ianuar. M D CC XXIV,

✠ (○) ✠



J. J.

§. I.



Onstat inter omnes, & res est decantatissima, Reformatos plerosque pro tuendo absolutæ reprobationis decreto ad exemplum Esavi non olim tantum frequentissime provocasse, sed hodiernum carioso hoc fundamento inhiiti, & vetustos milliesque confutatos Patrum suorum errores mordicus adhuc tueri. Hunc enim Esavum ex absoluta DEi voluntate, meritoque beneplacito reprobatum fuisse dicunt, quia Apostolus Paulus Cap. IX. Epist. ad Rom. v. 13. affirmavit, DEum Jacobum amasse, Esavum autem odisse. Verba Apostoli ex Græco codice recitanda hæc sunt:

Textus Græcus:

καθὼς γέγραπται τὸν Ἰακώβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαὺ ἐμίσησα.

Versio Germanica B. Lutheri:

Wie denn geschrieben stehet: Jacob habe ich geliebet, aber Esau habe ich gehasset.

§. II.

Hæc Apostoli verba minus recte intellecta & explicata immanem pepererunt, atque horribilem absoluti reprobationis decreti

A 2

decreti

decreti errorem, qui tam alte Reformatorem animis infedit, ut nullis machinis evelli posse videatur. Cum præsertim existiment, ipsum Apostolum ab hac doctrina non fuisse alienum. Ad exemplum Esavi ex absoluto decreto reprobati palam maximaque animi fiducia provocarunt Doctores Ecclesiæ Reformatæ antesignani tantum non omnes, ex quibus in præsens nominabimus ZWINGLIUM, CALVINUM *Institut. Lib. III. Cap. XXII. num. 4. & u.* ZANCHIUM *Lib. V. de Natura DEI Cap. II.* nec non ARETIUM, BEZAM, PISCATOREM in *Analyti Mal. Observ. I. in Cap. I. atque in Comment. ad Rom. c. II. Observ. 5. & c. IX, 13. p. 175.* PAREUM in *Comment. ad h. l. WALAEUM T. I. Opp. p. 354. & T. II. p. 194.* WITTICHIUM, SALOM. van TIL in *Comment. ad Mal. p. 35. seqq.* & CAMERONEM in *Myrothec. Evang. p. 192.* Mittimus TRELCAIUM, FRANCISCUM JUNIUM, CHAMIERUM, MARLORATUM, WENDELINUM, JO. CROCIUM aliosque.

§. III.

Anno superioris seculi LXXV. in Helvetia JO. HENR. HEIDEGGERO, Theologo Tigurino, auctore, prodit *Formula Consensus* ab Ecclesiis Helvetiæ Reformatis subscripta, tantoque applausu excepta, ut inter libros Symbolicos, quos ibi habent, referretur. Occasionem conscribendæ formulæ dederunt variæ controversiæ in Ecclesiis maxime Gallicanis natæ, novaque dogmata, in quibus præ ceteris eminebat Universalismus hypotheticus a JO. CAMERONE excogitatus, & ab ejus discipulo MOSE AMYRALDO, Theologo Salmuriensi, magis expolitus, & in formam Systematis redactus. Novo illo invento vehementer amplificatur divina misericordia & Christi meritum, tantæque ejus amplitudo esse dicitur, ut ad omnes omnino homines se extendat. DEum quippe omnes salvos velle. Christum pro omnibus hominibus mortuum esse & satisfecisse efficacissime pro totius mundi peccatis, Hypothetici illi ajunt. Nec negant, omnes omnino homines propter Christi

ADVERSUS ESAVVM.

Christi meritum salvari posse, si credant omnes. Hanc sententiam secuti sunt PAULUS TESTARDUS, JOSUA PLACÆUS, DAVID BLONDELLUS, JO. DALLÆUS, LUD. CAPPELLUS, ALEX. MORUS, JO. CLAUDIUS, aliique plures. At vero, quod una manu impositores dederunt, altera eripiunt. Interrogati enim, velitne DEUS in consilio & beneplacito suo interno omnibus hominibus tantam dare gratiam, qua sic moveantur, ut actu credant, negant, DEO id unquam in mentem venisse. Restrungunt igitur divinam misericordiam conditione fidei impræstabili & impossibili, & affirmant, *DEum sub conditione tantum, SI CREDANT, omnes homines salvos velle, & Christum omnes, hac ratione, nemine excepto, redemisse.* Simul tamen eodemque tempore fatentur, dari definitum hominum numerum absolute a Deo electorum & rejectorum. Etsi igitur Universalismus ille tantum conditionatus, & si rem recte æstimes, mere verbalis ac illusorius sit, plerique tamen Ecclesiæ Reformatæ Doctores ne speciem quidem & nomen gratiæ alicujus universalis huc dum ferre potuerunt. Dicitur quippe vix potest, quantopere se Hypotheticis istis gratiæ universalis assertoribus opposuerint PETRUS MOLINÆUS, FRID. SPANHEMIUS, ANDR. RIVETUS, cum universo Theologorum Lugdunensium ordine, SAM. MARESIUS, FRANC. TURRETTINUS, PETRUS JURÆUS & HEIDEGGERUS, qui Formulam Consensus Helveticæ gratiæ universali inprimis opposuit, probaturus, dari absolutum electionis & reprobationis decretum, ut multis S. Scripturæ dictis, sic perillustribus inprimis Jacobi ac Esavi fratrum exemplis confirmatum ac manifestatum. In Scriptura quippe Dei propositum miserendi scilicet hominum, non ad omnes & singulos, sed ad solos electos restringi, exclusis nominatim reprobis, veluti Esavo, quem Deus æterno odio persecutus sit, Rom. IX, 13.

§. IV.

Hanc sententiam ex recentioribus Reformatæ Ecclesiæ Theologis JO. MARCKIUS in *Scriptur. Exercitat. Vet. Test.*

A. Ch. MDCCIX. Amstelodami emissis p. 229. sibi amplissime propugnandam fumsit. Explicaturus enim *Exercit. IV.* Oraculum Gen. XXV, 23. *DUÆ GENTES IN VENTRE TUO, ET DUO POPULI EX VISCERIBUS TUIS SEPARABUNTUR, ET POPULUS PRÆ POPULO FORTIS ERIT, ET MAJOR SERVIET MINORI*, haud dubitavit l. c. p. 230. sq. ita commentari: *Est autem postrema ista horum verborum DEI pars tanto notabilior, quanto non tantum magis a solito fratrum ordine recedit ejus argumentum, sed & quanto certius hinc Paulus argumentum petiit ad asserendam personalis electionis & reprobationis divine summam absolutamque a præviso bono & malo omni libertatem Rom. IX, 10-13. Eandem sententiam repetit & inculcat p. 260. §. XIII. his verbis: Idem non minus clare docet Paulus in Rom. IX, 10-13. ubi & MOSIS atque MALACHIÆ textus in hanc rem optime adduxit. Nempe illic Jacobum non in sola posteritate sua, sed omnino etiam in propria persona sua, proponit Apostolus, in electionis, non qualiscunque externæ & temporalis, sed veræ, salutaris & æternæ, non typum emblematicum & umbraticum, sed verissimum exemplum, uti ab altera parte Hesarum dat pro exemplo opposito reprobationis. Et quando hinc clarum est & in confesso, Jacobum omnino fuisse electum ad vitam æternam, non licet per hoc Pauli verbum amplius de Hesarum reprobatione ad mortem æternam ducente, dubitare.*

§. V.

Inde satis intelligitur, quid senserit de fratribus istis germanis Theologus Lugdunensis, JO. MARCKIUS, non exiguam ex Scripturæ interpretatione laudem apud suos consecutus. Existimat enim decretum absolutum ex utriusque fratris vita ac fati haud obscure stabiliri. Præcipuum sententiæ confirmandæ præsidium ex Genes. XXV, 23. petiit, ubi *MAJOR SERVITURUS* dicitur *MINORI*. רַב יַעֲבֹר צַעֲרִי וְכַיִן אֵלֶּיךָ וְכַיִן אֵלֶּיךָ וְכַיִן אֵלֶּיךָ וְכַיִן אֵלֶּיךָ, & *major serviet minori*, uti verterunt *INTERPRETES ALEXANDRINI & VULGATUS*, JONATHAN oraculi illustrandi causa

ADVERSUS ESAVVM.

caussa addidit verba: *si filii minoris servaverint mandata legis*, quod *MARCKIO* valde temerarium visum est. Qui hunc locum explicaturus, suæque vindicaturus sectæ, ita instruxit scenam, ut non neglexerit, sed vel maxime in auxilium subsidiumque vocarit Apostoli verba Rom. IX. v. 13. De Jacobi electione perpauca habet, quia opinatus est, se a prolixiori disceptatione eo facilius sibi temperare posse, quo magis ex absoluta Esavi rejectione appariturum sit, quid de Jacobi salute sentiendum. Univerſa igitur Exercitatio Marckiana circa Esavum occupatur, odio *DEI* absoluto ad æternum exitium destinatum.

§. VI.

Rei summam demonstraturus, illud inprimis urget, responſum Jehovahæ de personis explicandum esse, ut *magnus* dicatur senior, & *parvus* junior. Miratur *MARCKIUS* l. c. p. 234. & propemodum indignatur, quandoquidem vidit, cum aliis pro media sententia stare *PISCATOREM*, ut exponat non tantum, major serviet minori, i. e. posteritas majoris seu natura dignioris filii serviet posteritati minoris, sed & addat: Quod vero Paulus Rom. IX. 12. hoc dictum citat ad probandum, quod Jacob a DEO ad vitam æternam fuerit electus, Esau contra reprobatus, non citat tanquam hæc verba proprie intelligenda sint, de ipsis personis Jacobi, & Esavi, sed citat per ratiocinationem ab effectu, nempe ab iis, quæ posteris illorum evenerunt, unde colligit, quod DEUS Jacobum dilexerit, Esavum odio habuerit, sicut hæc ipsa verba citat ex Mal. I. 2. 3. Tandem denuo expressis verbis fatetur *MARCKIUS*: Nos putamus Paulum Apostolum Rom. IX. 10. sqq. manifestissime ad ipsas personas Esavi & Jacobi nos ducere, p. 246. §. IIX.

§. VII.

Nec alio consilio ipsam quoque Servitutum respexit, tanquam indubitatum ac evidentissimum reprobatæ Esavi signum, contendens, quod *HESAVUM JACOBO SERVITURUM* clare præsignificaverit hujus nascentis factum, quando manu
sua

ſua apprehendit illius calcaneum Genef. XXV, 26. יָרַח אֶת
 יְדוֹ בְעֶקֶב הַיָּד הַיְמָנִית הַיְמָנִית הַיְמָנִית הַיְמָנִית, *plan-*
tam fratris tenebat manus apud LXX. & *VULGATUM*. Un-
 de dictus Jacob quasi *πτερωτής*, *supplantator*. Confer. Gen.
 XXVII, 36. Propterea proditum esse opinatur Hof. XII, 4.
 יָרַח אֶת אָחִיו בְּעֶקֶב יְדוֹ בְּבִטְן עַל הַיָּד הַיְמָנִית, *in*
utero supplantavit fratrem suum, uti LXX. & *Vulgatus* habent.
 Huc etiam refert juratam primogenituræ suæ venditio-
 nem, cujus vilissimum pretium palam arguerit servilem ma-
 ximi & sacri juris contemptum. Et consequens venditio-
 nis hujus juratæ necessarium fuisse ait, ipsius Esavi, qui per
 nativitatem priorem fuisset supra fratrem, ut Dominus, de-
 pressionem quasi servilem infra Jacobum, tanquam primo-
 genitum. Quam neque negarit, sed ultro factus sit Esavus
 ipse Gen. XXVII, 36. *primogenita mea ante tulit*. Si ergo
 fratres minores recte dicantur serviisse primogenito, tan-
 quam domino suo, existimat, non posse negari, Esavum
 natu *majorem*, translato per propriam levitatem & culpam
 primogenituræ jure in Jacobum, *servum* fuisse, & actu ser-
 viuisse Jacobo, parvo seu natu *minori*. Imprimis si junga-
 tur infecuta Patris benedictio vere conveniens juri primo-
 genituræ, quam dein Jacob ad juris sui confirmationem
 acceperit. Corroboraturus hanc suam opinionem, urget
 consensum PAREI, cui similiter visum fuerit, hoc oraculum
 in Esavi persona ratum impletumque fuisse, *quando ex Ca-*
nanea terra benedicta in montes Seir secessit, quando denique
abjecta religione a fœdere descivit. Tunc enim, inquit, major
subjectus est minori. Hec ingentia privilegia nempe jus primo-
genituræ, gratiæ & adoptionis typum, hereditatem terræ
sanctæ, cœlestis patriæ typum, nec non prærogativam fœde-
ris & Ecclesiæ, extra quam nulla est salus, oraculum tribuit mi-
nori, derogat majori, non utique ad hujus tantum vitæ commo-
da, sed ad gratiam quoque & salutem spectantia. Sub his vero
latebat alius oraculi sensus mysticus, mysterium nempe de Jaco-
bi æterna electione ad vitam & Esavi reprobatione a gratia &
vita, quod externis illis eventis non obscure significatum fuis-
se PAREUS putavit.

s. IIX.

§. IIX.

Pergit *MARCKIUS*, utque eo feliciter, quo tendit, deveniat, nimirum ad absolutæ reprobationis decretum, cuius tristissimum exemplum Esavum fuisse constanter & firmissime pronunciat, prædicata ejusmodi in S. literis de Hesavo passim existare opinatur, quæ evidentissime demonstrant, illum inter damnatos numerandum esse. Scilicet ante omnia hic urget testimonium Pauli Apostoli, qui Hebr. XII, 16. 17. monet: μή τις πρόνος, ἢ βέβηλος, ὡς ἦσαν οἱ ἀπὸ τῆς βρασύως μιᾶς ἀπέβη τὰ πρωτότοια αὐτῆ. Ἰσὶ γὰρ, ὅτι καὶ μετέπειτα θέλων κληρονομήσαι τὴν εὐλογίαν, ἀπειδοκίμασθαι μετανοίας γὰρ τόπον οὐχ εὔρει, καίπερ μετὰ δακρύων ἐκζητήσας αὐτήν. Ubi vocem ΒΕΒΗΛΟΤ imprimis urget, contendens, ea non notari hominem qualicumq; ratione culpabilem, sed pessimum & vere *profanum*, qui, interprete *PAREO*, *procul a sano* & loco sacro, h. e. a Deo fuerit. *SUIDÆ* βέβηλον ἀνδρα esse τὸν ἀμύητον καὶ μαρῶν. *HESYCHIO* βέβηλον esse τὸ μὴ ἱερὸν καὶ ἄθειον. βέβηλος, ἀτίμος, ἀμύητος. Idem illustrat ex *PHAVORINO*, persuasus confirmatusque, tantam huic nomini vim inesse, ut Esavus nulla ratione dici potuerit βέβηλος absolute, nisi pro vere impio & reprobato ipse fuisset habitus ab Apostolo Paulo. Id quod ulterius ex eo conficere studet, quod ἀπειδοκίμασθαι *reprobatus sit*, vel fuerit, apud interpretem *SYRUM*. Divinam Esavi reprobationem clare apparere & recte colligi ex paterna ejus rejectione. Hunc enim ipsum Esavum, qui Patris pœnitentiam non invenerit, nec consilii mutationem obtinuerit per lachrymas suas, sed a Patre reprobatus fuerit, censendum esse omnino a DEO ipsomet tanquam βέβηλον repudiatum rejectumque, ne salutem æternam consequeretur.

§. IX.

Opinionem suam uberius confirmaturus Cel. *MARCKIUS* in rem suam §. XIV. convertit, quæ Moses de Esavo literis consignavit. *Videamus*, inquit, p. 261. *an hæc magis ad electionem & pietatem, an vero ad reprobationem & impietatem ejus nos ducant?* Præ ceteris multa de nominibus *Esau* & *Edom* prolixè & inutiliter commentatur. De

rubicunda & pilosa corporis forma perinique judicat, professus, se non intercessurum, si quis in ea etiam quærere ac constituere velit Esavi servitatem vel depressionem. Vix enim consentaneum esse, aut credi posse, tam horridam formam a Deo datam vel dandam fuisse huic homini, nisi & similis ei fuisset animus, cujus pravitas haud obscurum divini odii indicium, absolutæque damnationis fuerit argumentum. Eam sane Hesavi pueri pilositate[m] fuerit arguendo, quod in historia naturæ alias vel nusquam, vel rarissime fuerit observatum,

§. X.

Progressus ad Esavi mores ita eos comparatos fuisse monet, ut certas servitutis & reprobationis notas continuerint. Id quippe perspicuum esse primo ex vitæ instituto, quod elegisse Hesavus dicitur, & quod plane oppositum fuerit vitæ Jacobi, quippe qui non sub dio in agris, aut sub Jove frigido, quæ Horatiana est vitæ Venatoriæ descriptio ac formula, sed tabernaculorum habitator & vitæ tranquillæ cultor fuerit, Genes. XXV, 27. Contra ea campestre & venatorium fuisse vitæ Hesavicæ genus. Ex hoc igitur vitæ instituto a multis non male colligi, ferocem & efferatam, adeoque minime piam ejus indolem fuisse, sed feris, quas persequabatur, quadantenus similem, indicatamque ab ipsomet Patre Isaaco, agente Gen. XXVII, 40. על־הַרְבֵּב תִּחַיָּהּ *super gladio tuo vives*. Certum præterea pravi reprobati- que animi indicium fuisse venditionem juris primogenituræ. Quæ πρωτόγονια si referantur tantum ad temporalem hæreditatem, perexiguam equidem Hesavi culpam videri posse, quam tamen ut gravissimam nobis proponat Scripturatum V. tum N. Testamenti. Nam summe culpabilem sacerdotii contemptum ante omnia considerari debere. Certe Apostolum Paulum ex isto detestabili facto pro sua & Spiritus ducentis sapientia collegisse animum Hesavi profanum. *Uti & nos, ait, ex eo tanquam insigni specimine consequenter concludere debemus ejus impietatem, per quam in*
nume-

numero reproborum merito ponitur a nobis. Eandem conjecturam MARCKIUS §. XX, ulterius confirmat ex conatu & studio Hesavi, quando venditionem primogenituræ jurejurando confirmatam rescindere cum perjurio, & jura primogeniti pristina repetere, eorumque fructus Jacobo interciperi voluit, Gen. XXVII, 4. 24. 30. sq. 36. 38. Idem intelligi putat ex odio Esavi crudeli & diuturno adversus fratrem, utpote cujus interitum tanta industria studioque quæsierit, ut Jacobus coactus fuerit salutem querere in fuga, Gen. XXVII, 41. 43. Cunctis hisce momentis addi posset censet connubia inauspicato, & invitis parentibus, inita, quorum meminerit Moses, Gen. XXVI, 34, sq. XXVII, 46. XXXIX, 8, sq. XXXVI, 2, sq. ubi hoc inprimis nomine reprehendatur, quod ex gentibus maledictis sibi elegerit uxores. Ultimo tandem loco pro certo pravæ mentis & reprobationis Esavi indicio habet terræ Cananæ derelictionem. Ab eo enim tempore destitutum eundem fuisse sacrarum rerum usu cultusque divini publica celebratione, Inde enim liquido apparere arbitratur, Esavum ex eo tempore ab omni Dei cultu & via in coelestem patriam instituenda prorsus defecisse & a Canaanæ cœlesti absolute exclusum fuisse. Hæc argumenta paulo fufius exposita diligenterque expolita MARCKIUS sub Dissertationis finem in compendium missa, coronidis quasi loco hisce repetiit verbis §. XXIV, p. 312, ita postquam nunc deprehendimus Esavum corporis conditione nativæ æque quam nomine prorsus horridum, campestri feræque vitæ unice deditum, primogenituræ venditorem gulosum & profanum, juramenti contemtorem perfidum, fratris osorem crudelem, profanarum mulierum amatorem impurum, terræque sanctæ derelictorem impium, videmus, eum justissimas ob causas a nobis pro perduto & reprobo homine haberi.

§. XI.

Nobis vero Celeb. MARCKIUS sectæ suæ patrociniū invita Minerva & inauspicato suscepisse videtur, quando impii & profani Esavi exemplo probare voluit absolutum illud

illud & horribile æternæ reprobationis decretum, quod Doctores Ecclesiæ Reformatæ contra Spiritus S. sententiam in S. literis patefactam, & sanioris antiquitatis consensum tantopere tuentur. Nos proinde MARCKIO aliisque ejusdem commenti patronis contradicaturi, evidenter ostensuri sumus, ex improbitate vitæ reprobationem Esavi nequaquam colligi posse, nec Apostolum Paulum aut divinum Mosis oraculum tam horribili errori patrociniari.

§. XII.

In limine statim & sub ingressum certaminis inficiamur, quod in Mosis oraculo, aut in his nostris ex Mal. I, 2. sq. ab Apostolo Paulo citatis verbis de absoluto decreto ex mente & intentione Spiritus S. agatur. Nam quod primo attinet ad Oraculum a Mose recitatum, illud sane a sententia Reformatorum & ab interpretamento Marckiano longe est alienissimum & prorsus impertinenter ad erroris istius patrocinium allegatur. Erroneæ istius expositionis & præ applicationis indicia in textu ipso & serie orationis existant haud exigua nec pauca. Occasio edendi oraculi, eodem Cap. XXV. descripta, memoratu & observatu digna est. Sterilitate Rebeckæ Jacobi precibus a Deo sanata, accidebat, ut gravida fieret. Cumque Rebecca collisionem insolitam in utero sensisset, & de ejus rei causa ac ratione consultum ivisset Jehovaham, hoc ab eo responsum tulit, v. 23:

בבטןך ושני לאמרים ממעך יפררו ולאם מלאם יאמץ
: ררב יעבר צעיר: *b. e. Dae gentes sunt in utero tuo, & duo populi e visceribus tuis separabuntur: Et populus præ populo fortior erit, & maior serviet minori.* Quis quæso putabit, aut sibi persuaderi patietur, ex gemino illo foetu feris ardentissimisque Isaaci & Rebeckæ precibus divinitus impetrato, Deoque consecrato, alterum nihil tale præ altero promeritum jam tum nondum in lucem editum, nec ullo adhuc scelere inquinatum, ad exitum æternum, nec precibus Isaaci, nec alia ratione amoliendum, a Deo benignissimo Patre absolute fuisse destinatum, & in hunc finem pro-

progenitum? Hic adversarii fuismet vinci & jugulari possunt armis. Statuunt enim præeunte CALVINO atque BEZA, fidelium parentum liberos hereditario jure secundum promissionis formulam, jam a matris utero sanctos esse & in fœdere contineri. Qua igitur ratione illud ius Esavo derogabunt, piissimis parentibus prognato? Sane ad illum etiam pertinuit eximium illud privilegium, quo fidelium liberi gaudent *Act. II, 39. Gen. XVII, 7.* Præterea ex eventu & ipsius oraculi verbis manifestum est non de personis, sed de integris populis, ex Esavo & Jacobo prodituris, Deum loqui. Nam expresse dicuntur עַם וְעַם *due gentes*, עַם וְעַם & *duo populi* Genes. XXV, 23. nec non Cap. XXVII, 29. Quis vero dicat, universam aliquam nationem ac gentem, nullo excepto individuo ad vitam æternam electam, aut ad perpetuum interitum a Deo absolute reprobata esse? Contrarium potius in Scriptura S. de Idumæis indicatur *Es. XI, 14. Dan. XI, 41. Amos IX, 11. 12. Marc. III, 7. 8.* Beneficia illa, Jacobi posteris præ Idumæis promissa, sunt temporalia & terrena. Ex ipso enim textu apparet, Israelitis hic nihil aliud promitti, quam rerum gerendarum gloriam, felices omnium rerum successus, fertilitatem agrorum & dominium in Edomæos, aliaque, quæ ad hujus vitæ comoda & prærogativas pertinent. Nihil hic exstat de electione ad Vitam Æternam, aut de absoluta reprobatione ad sempiternum interitum. Nec usquam in scripturis memoriæ prodita est Esavi damnatio, de qua nonnulli ex ipsomet Calvinianorum cœtu dubitarunt. RIVETVS *Exercit. CXIV. in Gen. rem in medio relinquit.* JACOBVS LAVRENTIVS in *Paulo διορθωσάδ h. l. p. 252.* fatetur, argumenta, quæ pro reprobatione Esavi æterna proferri solent ab adversariis, magis esse probabilia, quam apodictica. Contra ea haud pauca salutis Esavi indicia in S. literis exstant, ab interpretibus passim annotata, & illustrata. Idem ex multis, quæ in Patriarcharum Historia occurrunt, circumstantiis hæc obscure colligi potest. Neque enim credibile est, Isâacum, virum divinum atque sanctum, Esavum tanto & tam constanti

stanti amore prosequuturum fuisse, si adeo corruptus, impius atque reprobatus fuisset. Qua conscientia tam pius Patriarcha *Gen. XXV*, 28. benedictionem impio filio, de cuius reprobatione, si is divini Oraculi fuisset sensus, certus esse debebat, decernere aut impertire potuisset? Per fidem de futuris benedixisse dicitur Isaac Jacobo & Esau, *Hebr. XI*, 20. De quo vide *Gen. XXVII*, 39-41. Et quid tandem de Dei sinceritate & bonitate, tantis præconiis in scripturis celebrata, sentiendum esse existimabimus, si Deus per circumcisionem in fœdus gratiæ eum recepit, quem tamen simul fatali & perpetuo odio statuit persequendum, absoluteque repudiandum?

§. XIII.

Vaticinatio Malachiæ e diametro contrariatur sententiæ MARCKIANÆ. Ita autem illa se habet: *Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob, & Esau odio habui: & posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus pro draconibus deserti: Quod si dixerit Edom, destru- ti sumus, &c. Mal. I*, 2, 3. Hoc oraculum *HIERONYMO ad Hedibiam qu. X.* non exiguam habere visum est difficultatem. Nostra autem opinione facile superatur, si ad orationis seriem & scopum attendamus. Nam quid per *Esau* intelligatur, ipse textus insinuat, Idumæa nimirum, seu posteritas Esavi. DEUS ipse per Prophetam locutus oraculi sui, Rebecæ olim redditi, explicationem hoc loco addit, exponens suum erga Jacobum amorem de illa gratia singulari, qua ipsum in posteris, & in possessione terræ benedictæ prosecutus fuit. Contra suum erga Esavum odium ipse interpretatur per Edomæorum posthabitionem, qua terram multo deteriorem, ac situ horridam, minusque fertilem in montanis Seir hereditatem ipsis attribuerat. Quæ de re infra plura dicturi sumus. Idem non minus ex his nostris Apostoli Pauli verbis, quæ vindicanda sumus, meridiana luce clarius apparet. In iis enim, quæ extant *Rom. IX*, 13. per Metonymiam causæ efficitur, pro effectu, Jacobus ponitur pro populo Israëlítico, & pro populo Esavítico

tico figurate memoratur Esavus. Præterea alius amor est beneficus, alius demum salvificus. Et notandus ibi etiam venit Hellenismus. *Odiffe* enim stylo Scripturæ perquam familiari interdum idem est, ac posthabere, seu diligere minus, quemadmodum huic nostro lucem affundit locus ex Psal. LXXIIX, 68. 19. **ET REPVLIIT TABERNACVLVM JOSEPH ET TRIBVM EPHRAIM NON ELEGIT: SED ELEGIT TRIBVM JVDA, MONTEM SION, QVEM DILEXIT.** *Repulit, non elegit, i. e. posthabuit, postposuit,* non tamen ideo abjecit aut reprobavit ad æternam damnationem. Videatur GLASSII *Phil. S. L. III. Tr. III. Can. XIX, p. 800.* Falsum ergo est, quod Calviniani volunt, in Esavo & Jacobo exemplum *electorum & reproborum* hic proponi. Æterna enim electio aut prædestinatio ex Rom. IX, probari nequit. Neque existat in eo capite genuina & propria hujus doctrinæ sedes. Suffragamur præstantissimo Theologo B. MYLIO, qui *Comment. in Rom. IX, p. 323.* negat. Textum hunc simpliciter, primo & directe agere de electione & prædestinatione æterna. Idem visum fuit B. BALDUINO *Comment. in h. l. p. 580.* qui simili ratione negat, directe hic agi vel de æterna prædestinatione salvandorum, vel de reprobatione æterna damnandorum. Similia habent MENZERUS in *Expl. hujus Cap. T. I. Dissp. Gies. p. 776.* FRANZIUS de *Interpr. Script. Orac. 31, p. 357.* WELLERUS aliique nostratum Theologorum, qui suas commentationes ad illud caput ediderunt. Et quamvis nonnulli, interque eos singulatim B. HUNNIUS in *argum. hujus Capit. p. 295.* GERHARDUS in *Comment. ad h. l. RUNGIUS in Comment. ad Genesin c. 25, p. 758.* aliique sint, qui largiuntur, de reprobatione h. l. Apostolum loqui, negant tamen, Apostolum loqui de reprobatione absoluta, quia *Cap. XI, v. 20. & 23.* evidentissime monstratur, & recitatur vera reprobationis causa, quæ est Judæorum *aversio & incredulitas.* Nostra opinione, idoneis argumentis in conflictu, si opus fuerit, prolixè enumerandis, suffulta, Apostolus hic nequaquam disserit de æterna omnium Judæorum reprobatione

ne. Quandoquidem non tantum *c. IX, 26. & 27.* expresse asserit, plurimos Judæorum salvatum iri, id quod *Cap. XI, 25, 26.* denuo repetit, & inculcat, sed etiam eorum conversionem & salutem a DEo ardentissimis precibus efflagitat *Rom. X, 1.* Quam & Evangelii præconio & summi amoris significatione ita promotum ivit *Cap. XI, 14.* ut spem fiduciamque conceperit non exiguam de salute plurimorum *Cap. XI, 23, 31.* At vero in reprobatis nulla restitutionis & salutis adipiscendæ spes superest. Hæ rationes recte subductæ argumentum præbent invictissimum, hic nullo modo de æterna agi reprobatione. V. SCHROEDERUS in *Fascic. Controv. p. 520. sqq.* B. MEISNERUS *Anthropol. S. Decad. II. Disp. XX. §. 20. p. 341.* CALOVIUS in *Theol. Apostol. p. 374. &c.*

§. XIV.

Quibus rite & ex animi sententia expeditis, progredimur ad ea refellenda dubia, quæ MARCKIUS ex Mosis Oraculo, quod *Cap. IX. ad Rom.* confirmatur, pro stabiliendo communi Reformatorum errore adduxit. Nomina ׀ׁׁׁ magni & ׀ׁׁׁ parvi nos non de personis, quomodo MARCKIUS ea interpretatur, sed de populis intelligenda esse censemus. Hujus interpretationis veritatem clare monstrat valideque confirmat universi capitis illius series atque nexus. Hoc jam olim observavit JOSEPHUS, monens, sub Parentum designatione intelligendos esse populos. Idem omnino sensit RIVETUS, qui *Exercit. CXV. in Genesin,* Esavum majorem dici existimavit, quod primogenitura, corporis viribus & audacia Jacobum superabat, & ab initio robustior erat, observans, populum Idumæorum robustiorem initio fuisse Israëlítico populo, & ejus potentiam fuisse majorem. Paulo post ita elucidat divinum oraculum: *Inter duos illos populos erit inæqualitas virium, unus præ alio viribus pollebit, nihilominus, qui minor erit, victoriam obtinebit.* In eandem abiit sententiam JOH. CLERICUS exponens hæc verba: *Multus serviet parvo,* hoc modo, quod Idumæi, quorum opes multo citius creverant, & majores, quam Israëlitarum

litarum per aliquot generationes fuerant, inferiores postea Iſraëlitis fuerint. Edomum sane Jacobo ditioſiorem & potentioſiorem fuiſſe, liquet ex Capite Geneſeos XXXIII, dum Jacobus in Chananæa fuit. Quin etiam Reges habuerunt, & in proprio ſolo diu fuerunt Idumæi, antequam Iſraëlitæ ex Ægypto exhibant, & Remp. ſuam formare poterant. Confer. Gen. XXXVI, 31. Imprimis huc pertinet, uti paulo ante indicavimus, Malachiæ vaticinium, illuſtriſſimi inſtar commentarii in ſubſidium evocandum. Vates ille diviniſſimus, qui poſt Eſavum MCC. circiter annis vixit, oraculum Moſaicum non de perſonis, ſed de poſteritate Jacobi & Eſavi explicavit. De poſteris ergo horum Patriarcharum ſermonem eſſe præſupponimus, tanquam rem certam atque evictam. Omnem dubitandi cauſſam nobis admittit locus illuſtris Gen. XXVII, 28. 29. ubi Iſaacus Jacobo apprecatur *affluxum de rore cæli, & de pinguedine terræ, nec non multarum gentium ſubjectionem.* Quæ promiſſio & felicitas de perſona Jacobi intelligi nequit. Ille enim ipſe aliis ſervivit, in Meſopotamia exulavit, & Eſavum magna animi ſubmiſſione coluit, Gen. XXXIII, 3. Spectandus igitur fratrum uterque in ſuis poſteris ſiſtitur hoc loco. Confer ea, quæ MAGNIF. DN. PRÆSES in *Obſervat. Sacr. P. I. p. 49. ſq. ad h. l.* annotavit.

§. XV.

Poſtquam evicimus, non de ipſis perſonis, ſed de poſteris hoc loco ſermonem eſſe, ſponte corruit Eſavi ſervitus, quam a Jacobo, fratris calcaneum apprehendente, præfiguratam fuiſſe, MARCKIVS opinatur. Illud enim, quamvis ad demonſtrandam Jacobi virtutem a nonnullis non incommodè trahatur, ſicuti ad laudem ejus *Hoſeæ c. XII, 4.* refertur, perexiguum tamen aut nullum ſervitutis omen fuiſſe, ex eventu & fati utriusque fratris fati apparuit. Neque aliter de venditionis actu ſtatuendum eſt. Primogenituræ enim venditio contractum inter duos iſtos fratres liberum arguit, nullam autem infert Eſavi ſervitutem. Primogeniti olim familiarum capita & principes erant, patre mortuo, vel

C

abſen-

absente, ac quoad fratres minores in eadem domo familiaq; manebant. Cessabat autem primogeniti principatus ac dominium in fratres minores, quando hi, paterna domo atque familia relicta, quale evenit cum Esavo *Gen. XXXVI, 5-8.*, aut patria potestate egressi, res suas habebant separatas, ac peculiare constituebant familias, quarum hi ipsi principes ac domini erant. Ne commemorem, Jacobum jure emtionis *7^a a Josaphat* quidem sibi acquisivisse, sed in Esavum ob ejus potentiam, opes, & ferociam dominandique libidinem, si vel maxime licuisset, voluissetque, ne exercere quidem potuisset. Suffragatorem habemus ANDREAM RIVETVM, qui in hanc sententiam ita commentatur: *Certe, si externa spectemus, inquit, & temporalia, Esau nunquam servivit Jacobo. Potius Jacob servivit Esavo, quam Esavus Jacobo.* Notatu digna sunt verba AVGVSTINI *de Temp.* a MARCKIO laudata *l. c. p. 236.* Quod autem dictum est, *populus populum superabit, & maior serviet minori, secundum literam in Esau vel in Jacob non videmus impletum. Non enim corporaliter beato Jacob Esau servisse commemorat Scriptura.* Quod si rationem quæras, cur in ipsis Jacobi & Esavi personis dominium & servitus divino oraculo denunciata, haud impleta fuerint, illa forte, quæ a nonnullis redditur, non adeo incommoda videbitur, quando ajunt, Deum pro sua sapientia ferocem Esavi animum mitigare potius, quam per dominii Jacobo concessi exercitium fratrem magis exasperari, lacerisque ad vindictam voluisse.

§. XVI.

Inde satis abundeque patet, oraculi divini complementum in utraque gente Israelitica & Idumæa, non autem in patrum personis & gentium capitibus quærendum esse. Suffragatorem habemus hujus expositionis ipsum Isaacum, optimum vaticinii abs se editi interpretem, quando Jacobum affatur *Gen. XXVII, 29. Serviant tibi populi, & procidant ad pedes tuos.* Huic prædictioni eventus in Jacobi posteris accurate respondit. Facta est Idumæorum subjugatio a Davide *2. Sam. VIII, 14. 1. Reg. XI, 15, & 1. Paral. XIX, 13.* quo tempore Israë-

litis

litis servierunt Idumæi, Esavi posteri. Consentientem habemus præter CORN. a LAPIDE & JAC. BONFRERIVM ex Reformatis præstantissimum literarum sacrarum elucidatorem ac vindicem ANDREAM RIVETVM, qui vaticiniû illustrandi causa ita commentatur ad h. I. Exercit. CXV. f. 442. & 443: *Oraculi veritatem manifestavit eventus ratione duorum populorum. Nam etsi populus Idumæorum ad tempus floruerit, & antequam posteritas Jacobi terram promissam possideret, suas habuerit sedes, & regnum constitutum, quod initio non cessit Israëlitis, imo sepe ei successit negotium, nihilominus tandem a posteritate Jacobi sub iugum missi fuerunt Idumæi variis temporibus. Primum sub Davide 2. Sam. VIII. a quo cum subacti fuissent, diu servierunt Israëlitis usque ad regem Joram, sub quo iugum excusserunt, 2. Reg. VIII. 20. quod postea in prædictione Isaac continebitur, Gen. XXVII. 40. Sed tamen rursus ab Israëlitis subiugati fuerunt tempore Maccabæorum, quod Lib. I. cap. V. legimus. Et Lib. II. Cap. X. viginti quinque millia trucidata narrantur, & eodem Capite iterum viginti millia. Evertendos autem rursus esse ab Israëlitis Idumæos, prædixerat Abdias v. 17. Josephus etiam Ant. Jud. Lib. XIII. Cap. 17. eo adductos fuisse testatur Idumæos ab Hircano, qui tum ex Maccabæorum genere populo Israelis præerat, ut circum cisionem subire cogerentur, quod illis instar mortis fuit. Ex quibus ratione duorum populorum satis aperte constat de oraculi impletione, cujus directa & historica interpretatio ad literam duos illos populos respicit eo, quo diximus, modo.*

§. XVII.

Neque validum reprobati Esavi indicium aut argumentum arcessi potest ex verbis Paullinis, quando Apostolus Esavum appellavit ad *Hebr. XII. 16. 17. ὁ ἄλογος*, qui Patris pœnitentiam non invenerit, cum lacrymis licet quæsitam. Insignitur enim profani nomine ob intemperantiam gulæ, ob stoliditatem animi, ob mundanam & carnalem indolem & ob contentum primogenituræ, ejusdemque pro vili edulio venditionem, Unde tamen non statim absoluta ejus repro-

batio colligi aut demonstrari potest. Siquidem pari alias ratione idem de omnibus, nullo excepto, hominibus, utpote qui licet non eo, tamen alio modo multifariam peccant, esset judicandum. Quo circa non ab æterna salute reprobatus dicitur, sed a paterna duntaxat benedictione, ut ipse BEZA h. l. interpretatur, sive a primogenituræ restitutione, quam non poterat a patre recuperare, etsi, anxie eam quærebat, & cum larga lacrymarum profusione. Jacobus enim, qui illam semel consecutus erat, solus cum suis posteris reddebatur particeps beneficiorum temporalium, quæ ex ea fluebant. Ad quæ dominium, rerum gerendarum felicitas, cultus Dei publicus, ac terræ Cananæ possessio inprimis pertinebant. Vid. *Observationes Sacrae DN. PRÆSIDIS p. 52. P. I.*

§. XIII.

Argumentum, quod MARCKIVS ad probandam Esavi reprobationem ex ejus nominibus atque a pilosa corporis forma desumpsit, risum magis & contentum, quam prolixam ac operosam meretur refutationem. Nam impositio inufitatorum nominum est res arbitraria piis æque ac impiis communis. Et quamvis nomina Esavi & Edomi ob ruffam & pilosam corporis formam ei indita fuerint, inde tamen de ipsa animi indole indubitato & infallibiliter judicari nequit. Quanto minus certi aliquid de ipsa ejus reprobatione, æternæque salutis jactura affirmari potest. Sæpe prava animi inclinatio per institutionem, industriam & crebras exercitationes, accedente maxime Spiritus S. gratia, emendatur. In *SOCRATE* Philosopho memorabile habemus hujus rei exemplum. Vultus & corporis forma pessimi animi indicia dabant. A multis primo aspectu pro homine scelestissimo habebatur. Talem etiam se futurum fuisse fatebatur vir candidus, nisi Philosophia vitium indolis correxisset. Quanto facilius Esavus patris institutione divinique virtute verbi, potuit emendari & ad pœnitentiam, morumque ac animi probitatem reduci?

§. XIX.

Tandem nec illud argumentum firmo stat talo, quod ex
vitz

vitæ genere ac moribus Esavi MARCKIVS petiit, ratus atque persuasus firmiter, ferocitatem morum servitutem pariter ac reprobationem ejus indicasse. Ut ratiocinationis infirmitas evidentior fiat, singula momenta, servato ordine supra indicato, examinabimus. Primo loco urgetur Venatorium vitæ Hefavicæ genus. Tantum vero abest, ut servitutis aliquid deprehendamus in eo, ut potius non obsecrum domini alicujus signum sit. Cumque homini dominium in animantia bruta ac feras divinitus concessum sit, nulla est impietas, si quis eo jure legitime utatur, belluasque citra aliorum hominum injuriam venetur atque conficiat. Num dicemus, universos & singulos, qui venationi dant operam ac pientissimos quosque, suo jure rite & sine aliorum offensione utentes, damnationi adjudicandos esse, tanquam reprobatos? Venatio igitur Esavi in detrimentum salutis ejus allegari nequit.

§. XX.

Porro urgetur factum Esavi, vendentis primogenituram suam. Hic quæstio moveri solet de Jacobo, rectene fecerit, quando emit jus primogenituræ a fratre? & an expers culpæ haberi possit? Pontificii ad excusandum Jacobum inculcant cum CORN. a LAPIDE, *illum tantum intendisse emere jus primarium primogenituræ, quod temporale erat & vendibile, sicuti vendi & emi potest ager, cui est annexum jus Patronatus.* Qua de re etiam ample disseruerunt RIVETVS, & HEIDEGGERVS, alique. Multis minus justa & laudabilis visa fuit ea conventio, quippe cum honestate, æquitate & fraterna charitate parum convenire censuerunt. Nec ab omni culpa absolvi posse Jacobum, qui Esavum ad vendendum instigarit, qui jusjurandum exegerit, pretiumque obtulerit vilissimum pro re pretiosissima. Perplacet sententia RIVETI ab HEIDEGGERO laudata, & ab ipso MARCKIO recitata p. 285., *de his Jacobi actionibus non posse favorabile ferri judicium, nisi ab eventu, quia non legimus in Scriptura, eum propterea in aliquam DEI reprehensionem incurrisse.* Legatur B. JOH. GER.

GERHARDI *Commentarius super Genes. Cap. XXV. p. 504.*
Qu. 6. Inde tamen nondum conficitur servitus Esavi,
 quam MARCKIVS urget. Nam primogenituræ venditio,
 liberum arguit contractum inter duos illos fratres. Simi-
 li ratione illa etiam argumentatio nervo destituitur, quan-
 do ex primogenituræ venditione pravi corruptique ac di-
 vinitus reprobati Esavi indicium petitur. Verum quidem
 est, ad æstumatissima primogenituræ jura præter duplam
 portionem & imperii dignitatem etiam pertinuisse sacerdo-
 tii sanctissimi præcipuum decus. Quis autem indubitanter
 affirmare poterit, hæc omnia in venditionis actu ab Esavo
 sprete fuisse atque neglecta? Nobis equidem non magno-
 pere placet ESTII sententia, qui in Ep. ad Ebr. XII. ut & in
 notis ad Gen. XXV. negatum ivit, *sacerdotium ad primoge-
 nituram pertinuisse.* Negamus tamen, Esavum sacra ipsa, &
 genuinum DEI cultum sprevisse. Quippe de dupla por-
 tione striete sic dicta primogenitura debet accipi, id quod
 constat ex 1. Paral. VI, 2. eamque solummodo Esavum ven-
 didisse ipse in Gen. XXVII, 36. haud obscure innuit. Hinc
 itaque si benedictio annexa fuit juri primogenituræ, sequi-
 tur, non ex toto, sed tantum ex parte aliqua Esavum ven-
 didisse primogeniti dignitatem atque jura. Et posito, non
 concessio, eum sprevisse sacra, vix tamen dubitari potest,
 quin seriam agens poenitentiam ad Ecclesiam veram redie-
 rit. Nam per hoc, quod Esavus primogenituræ juribus
 exutus est, non exclusus fuit a promissionibus & cultu Dei,
 multo minus a salute æterna. Quam in rem MEGALAN-
 DER LVTHERVS in Genes. c. XXXV. eleganter commenta-
 tur: *Ideo venit Esau ad funus, ut obedientiam & reverentiam
 suam erga Patrem declararet. Et est signum certum, rediisse
 eum in gratiam cum fratre, & se adiunxisse vere Ecclesie, ut
 fieret particeps spiritualis promissionis, si non ex promissione,
 tamen ex gratia. Sicut nos gentes recipimus in gratiam, non
 ex promisso, sed ex misericordia. Item cap. XXXVI. Moses
 ergo non solum propter reverentiam Abrabe, Isaac & Jacob
 celebrat Esau, quorum filius est & nepos, sed multo magis ob
 hanc*

hanc causam, ut sciamus, eum participem factum benedictionis, quam habuit Jacob. Semper enim patuit ei aditus ad societatem vere Ecclesie, si modo humiliavit se & dixit serio: Tantum misereatur mei Deus, & faciat me participem micarum, quæ cadunt de mensa Ecclesie, quæ est in domo Dei. Atque hanc existimo causam fuisse, quare inseruerit Moses generationem Esau numero sanctorum, & conjunxerit & ipsum & posteros aliquos cum Ecclesia S., quia sunt participes facti, non promissionis, sed misericordie, quam præstat promissio. Nostra opinione vitiosissima est hæc collectio & argumentandi ratio: Qui præ fratre suo jus primogenituræ a posteris exercendum adeptus est, ille ad vitam æternam cum omnibus posteris est electus. Neque etiam contraria vice sequitur; Quicunque primogenitura fuit exutus, ille absolute cum posteris suis reprobatus est.

§. XXI.

Præterea objicitur conatus Hesavi, qui nihil magis egit, quam ut venditionem illam cum perjurio rescinderet. Qui conatus culpa quidem omni non vacat, multis tamen de causis excusari potest. Deprehendens enim prioris facti sui errorem & videns boni amissi magnitudinem, paternam benedictionem recto justoque pretio cœpit æstimare, quin & amissi juris restitutionem impense concupiscere. Hinc studium illud, si a jurejurando discesseris, & ignorantiam Esavi, quod Jacobo, Deo ita dirigente, jus primogenituræ debeatur, recte pensitaveris, non adeo vituperabile videtur, maxime ubi jura primogenituræ magis a parentibus & a Deo, quam ab ipsis filiis, dum adhuc potestati paternæ suberant, pendere videbantur. Taceo, quod etiam in humano foro ad rescissionem venditionis, si iniquis conditionibus & illegitime facta censetur, via pateat & restitutio in integrum interdum inveniat locum. Et quidni benedictionem tantummodo ut patet ex Gen. XXVII, 34. 36. 41. quærens absque perjurio eam quæ sumpsisse dici possit? Nam primogenituram strictè sic dictam Jacobo vendiderat, minime autem benedictionem ipsam, quemadmodum §. præcedente demonstravimus.

stravimus. Odium tandem fratris, quod urget MARCKI-
 VS, non indicat, aut probat Esavi reprobationem. Quod
 enim non exsecutus est malum istud propositum occiden-
 di fratrem, magis ostendit animum tranquillum & mode-
 ratum ac poenitentia ductum, quam propositum antecedens
 monstrat ejus ferocitatem, judice JURIÆO, cujus verba
 confestim subjungemus. Odium igitur illud deposuit, te-
 stante Scriptura Genes. XXXIII. ubi Esavus nobis descri-
 bitur ut jucundissimum reconciliati fratris exemplum. Præ-
 cipue autem debemus observare, eum omne adversus fra-
 trem odium æque deposuisse, ac novas inimicitias nun-
 quam movisse posthac aut resuscitasse. Rem omnium opti-
 me expresit B. LVATHERVS, loco supra a nobis citato, his
 verbis: *Neque vero dubium est, quin etiam antea viderit pa-
 trem, & pater saepe eum amanter castigavit & monuerit, ut
 deponeret odium, & vindictæ cupiditatem. Ideo venit ad su-
 mus, ut obedientiam & reverentiam suam erga patrem declara-
 ret. Et est signum certum, rediisse eum in gratiam cum fra-
 tre.* Tandem objiciuntur conjugia Esavi. Hæc autem simili
 ratione tam leve argumentum suppeditant pro defendenda
 Esavi reprobatione, ut nobis non desint, quæ excipi & con-
 tra moneri possint. Plurima ex iis ipsis momentis, quæ
 MARCKIVS urget, sententiam ipsius magis stringunt & su-
 spectam reddunt, quam ut confirmet. Quicquid tandem
 in Esavi conjugii turpe fuerit & impium, certum tamen est,
 id omne postmodum eum agnovisse pariter ac detestatum
 esse. Quinimo, si rem recte æstimemus, redundat culpa magis
 in uxores, de quibus Scriptura dicit, eas fuisse in amaritudinem
 Spiritus Isaaco & Rebeccæ, Gen. XXVI, 35, quam in Esavum.
 Quod ad uxores Cananæas attinet, sciendum, non omnia
 gentium totius orientis individua a Deo rejecta fuisse ac per-
 petuo repudiata. Nam ex iisdem matres Christi enume-
 rantur, Matth. I, 3. Judas quippe Cananitidem *Suam* in ma-
 trimonio habuit & ex Thamar Phares & Zaram genuit, uti
 legimus Gen. XXXIII. Ultimum tandem argumentum a
 derelictione terræ Cananææ petitum evanescit facile, si con-
 fidere-

fideremus, Esavum habitandi figendique domicilii causa in montes Seir se sponte contulisse, *Gen. XXXVI, 6-8.* atque exclusionem ab hæreditate terrestri ab exclusione a cœlesti longissime differre. Regerit MARCKIVS, Esavum tamen a via ad cœlum, videlicet ab usu sacrorum prorsus defecisse. Sed enim vero sacra, quatenus spiritualia sunt, diffundunt sese etiam ad aliarum gentium homines, qui licet nullam hæreditatem in terra S. possederint, societatem tamen Ecclesia V. T. ingressi sunt. Quatenus vero illa respectum habent ad certum locum, terram & gentem, aliasque prerogativas, quo respectu externa seu corporalia audiunt, tum solis Jacobi posteris appropriantur. Hæc igitur quamquam ad Esavum ejusque posteros non spectarint; illa tamen ad eos spectasse opinamur. Et quid opus est verbis, ubi rerum prostant exempla. Ex Idumæis habemus virum integerrimum ac singulari prorsus probitate conspicuum, Jobum videlicet, quem Idumæum extitisse haud obscure colligitur ex *Gen. XXXVI.* Unde etiam CALVINVS in Comment. super Jobum Cap. I. *Si Jobum, inquit, dicamus fuisse ex regione Hus, erat Idumæus, i. e. ex posteris Esau.* Dantur equidem, ne quid dissimulemus, viri præstantissimi, qui negant, Jobi genus ex Esavo ducendum esse, e quibus nominasse sufficiat FRID. SPANHEMIVM *Opp. T. II. L. I. Cap. VII p. 54. sqq.* Defendunt tamen Jobi ortum ex Idumæis permulti Patres, quorum in numero est IRENÆVS, EVSEBIVS, ATHANASIVS, AMBROSIVS, CHRYSOSTOMVS, GREGOR. M. & AVGVSTINVS, qui *L. 18. de C. D. Cap. 47.* scribit: *Si negant Judei, quempiam ad DEUM pertinuisse præterquam Judeos, facillime convincuntur de S. & mirabili viro Job, qui nec indigena, nec profelytus, nec advena populi Israël, sed ex gente Idumæa.* Tantum igitur abest, ut Esavum rerum divinarum noticia haud imbutum, absoluteque rejectum fuisse opinemur, ut potius variis rerum argumentis, iisque inprimis, quæ jam allata fuerunt, in contrariam plane sententiam abeamus.

D

§. XXII.

§. XXII.

Hinc non immerito erroris a nobis MARCKIVS accusatur, quandoquidem hujus sententiæ, quam defendendam sibi fumsit, tenax his finivit verbis, deprehendi Esavum corporis conditione nativa æque, quam nomine prorsus horridum, nec non campestri feræque vitæ unice deditum, ac primogenituræ venditorem ex decreto DEI absoluto rejectum & ad sempiternum exitium destinatum. Quicquid enim de animo ac moribus Jacobi ac Esavi dici & urgeri potest, id non valet eo, ut affirmari possit & colligi: Quicunque aliquando moribus fuit perditis, ille cum universa sua gente a DEO absolute reprobatus est. Neque ex opposito valet: Qui sanctimonix navavit operam, ille a DEO absolute cum universis suis posteris electus est ad vitam æternam. Ita vero ipsa Reformatorum vehementer concuteretur ac tantum non everteretur hypothesis, apud quos prora & puppis est absolutum decretum, quod in Synodo Dordracena cor & palladium suæ Ecclesiæ vocarunt, cum quo res Reformata stetque cadatque, si nimirum ad mores hominum Deus in electione ac reprobatione respexisse diceretur.

§. XXIII.

Sententiam hæctenus a nobis expositam confirmatamque suo munivit suffragio Celeb. JVRÆVS in *Historia Crit. Dogmat. & Cultum Gallice edita Part. I. Cap. XI. f. 75. & 76.* cujus verba in idioma latinum conversa recitatione lectuque mihi visa sunt non indigna: „Hi duo homines, nempe Jacob & Esau, inquit, fuerunt typi liberrimæ & reconditissimæ dispensationis Dei, qui assumit unum & rejicit alterum in distributione gratiæ. Non oportet leviter sententiam damnationis ferre in homines, in primis anti-quos. Et in facto Hefavi decet meminisse, quod typi non sint illud, cujus sunt typi. Ad damnandum Hefavum oportet bene nosse historiam factorum ejus, vitæque & fi-

„ nis

nis; & hæc est, quam nos ignoramus. Consultum judica-
vit providentia, ut crimina nos doceret timere & horrere,
reos finire mori absque mentione respicientiæ eorum,
sed non licet tamen hic concludere, quod non respuerint,
&c. Deus elegit unum & reprobavit alterum. Sed ob-
servare decet, quod hæc reprobationes typicæ spectarent,
solum ad semen eorum, qui rejiciebantur; & quod inde,
nequeat concludi reprobatio personalis istorum Patriar-
charum, quos DEUS noluit eligere, h. e. quorum noluit,
eligere semen ad constituendam Ecclesiam & Christum ex,
eo dandum. Miser Esau adeo infamatus est in cathedris,
& scholis, ut vix tutum sit ipsius suscipere patrocinium,
defendere quod non sit reprobatus, & ex charitate judi-
care de ipsius salute. Potentissimum præjudicium contra,
eum facere conantur ex eo, quod Paulus *Rom. IX.* eum,
cum Jacobo constituit in emblema electionis atque repro-
bationis æternæ. Interim certus sum ego fore tementi-
am & defectum charitatis, inde concludere reprobatio-
nem & damnationem Esavi. Nihil videmus in ejus vita,
quod malum arguat hominem; atque Isaac, qui erat Pro-
pheta, & Vir sanctissimus, non habuisset tantum affectum,
in eum, si fuisset malus & reprobatus. Moses nobis dicit,
quidem, quod uxores Cananæ ab Hesavo ductæ fuerint,
in amaritudinem spiritus Isaaco & Rebeckæ: sed nihil tale,
nobis dictum est de Hesavo ipso. Propositum occidendi,
fratrem, quod habuit, patre mortuo, magnum est pecca-
tum, sed in eo nihil est, quod debeat videri alienum post,
illud, quod gestum erat inter hos duos fratres. Quin et-
iam, quod ipse non sit exsecutus propositum hoc, magis,
ostendit bonitatem animi, quam propositum præcedens,
monstrat ejus corruptionem. Lachrymæ, quas fudit, sa-
lutans hunc fratrem, de quo conquerendi credebatur se tam,
magnam habere causam, monstrant, quod fuerit apud,
eum copia magna bonitatis & teneritudinis. Tandem,
Theologi, qui volunt, Jobum ejusque fuisse po-
steros

„steros Esavi, consentire debent, quod cognitio & timor
 „DEI satis diu manserint in ipsius familia; si autem Esau
 „ipse fuisset impius & malus, non foret verisimile, quod
 „timorem DEI tradidisset liberis suis. Non quod statuam
 „ego, Jobum ab Esavo descendisse, sed concludo, quod
 „cum hæc opinio sit communissima inter Theologos, non
 „debeant, tantum honorem tribuentes liberis, opinionem
 „tam pravam de eorum patre fovere.

§. XXIV.

Rem vero universam ex ipso etiam Apostolico loco
 ad *Rom. cap. IX. v. 13.* nunc paulo accuratius contempla-
 bimus. Id facturi facile intelligimus, in verum totius
 capituli scopum pariter ac verborum sensum paulo dili-
 gentius inquirendum esse. Post diligentem verborum
 contemplationem id nobis videtur consentaneum, voluisse
 Apostolum occurrere Judæorum dubitationibus, quas
 conceperant ex doctrina de Justificatione, quod gentes
 non sectatæ justitiam Justitiam consecutæ, & ita a DEO
 præpositæ sint Judæis ex libero beneplacito; contra Ju-
 dæi ex operibus justitiam non consecuti sint sectati eam ex
 operibus legis & ita rejecti sint ab Ecclesia, seu a præro-
 gativis, quæ *v. 4. 5.* enumerantur, quemadmodum patet
 ex *v. 30. 31.* Omnia enim, quæ in hoc *Cap. IX.* occurrunt,
 ad *v. 30. seq.* tanquam præmissas ad conclusionem unicam
 referenda esse, ex ipsis Reformatis HENRICVS HAM-
 MONDUS, Interpres Anglorum non contemnendus,
 expresse in *notis suis* & Paraphrasi N. T. ad *v. 30.* fatetur.
 Quod vero Apostolus scopum illum sibi habuerit propo-
 situm, id ex Analyfi huius Epistolæ haud difficulter de-
 monstrabimus.

§. XXV.

Ut igitur oraculi Apostolici sensus, de quo controver-
 titur, penitus pateat, & falsitas sententiæ contrariæ faci-
 lius conspiciatur, attendere debemus ad generalem propo-
 sitionem, quam Apostolus pertractat in hac Epistola, &
 quæ

quæ statim Cap. I. v. 16. 17. his proponitur verbis: Evangelium Christi, sive doctrina de Justitia per fidem, omnes credentes salvat, primo Judæos, deinde etiam omnes Gentiles. Hæc Propositio usque ad Cap. XII. genere Didactico pertractata, partibus distinctis iterum consideranda est. In quarum *Prima* sistitur *advocata* hominum ad salutem, quam afferit Paulus C. I. de Gentilibus naturali sapientia confisus. C. II. de Judæis confidentibus lege Mosaica. C. III. de quibusvis hominibus reatui culpæ ac pœnæ obnoxii ad v. 20. inclus. Hinc in *Secunda* Parte necessitatem Evangelii C. III. v. 21. & C. IV. demonstrat, per quod nimirum omnibus justificatio per fidem in Christum gratuita offeratur æque ac conferatur. Porro in *Tertia* Parte salutares fructus & effectus Evangelii seu doctrinæ de justificatione per fidem ostendit C. V. VI. VII. & IIX., quorum præstantiam prolixè satis exponit, ac elegantissimis illustrationibus exornat. Cum autem ex hac doctrina clarissime constaret, quod si per fidem in Christum justitia apud Deum impetretur, Judæos per opera legis justitiam quærentes ab illa longè alienos esse, propterea in *Quarta* Parte docet Apostolus C. IX. X. XI., Judæos propter *ἀπιστίαν* & fiduciam in lege Mosaica & operum meritis positam maxima ex parte a justitia Evangelica rejectos esse, nec justitiam coram Deo valentem, & fide impetrandam invenisse: gentiles contra in eorum locum adoptatos & ad justitiam electos esse, quia illam per fidem ex Evangelio conceptam quæsierunt.

§. XXVI.

His ita præmissis breviter, circa ultimum Prioris Partis hujus Epistolæ membrum vel maxime nobis hærendum est. Hic autem quemadmodum paullo ante indicavimus, occurrit Apostolus quibusdam Judæorum objectionibus, quarum prima erat, *si Judæi a justitia rejecti essent*, existimandum foret, excidisse promissionis verbum patribus Judæorum factum, de justitia semini eorum per Messiam donanda. Has

igitur aliasque objectiones accurate diluit Apostolus c. IX. X. XI. Quod itaque ad primam illam attinet, in C. IX. v. 6. & 7. docet, nequaquam per hoc, quod Judæi non credant in Christum, atque ita ejus justitia non donentur, impetrent vero eam Gentiles, promissiones Dei excidisse. Id quod ulterius diducit atque confirmat tum exemplis, tum rationibus validissimis, & summam quidem v. 30. 31. & 32.

§. XXVII.

Ne autem indignationem gentis Judaicæ, cujus rejectionem a justitia ostenderat, sibi hac doctrina contraheret Apostolus, qui facile intelligebat, Judæos, quos sibi habebat infensos, existimatos, hæc omnia ab animo Pauli hostili promanasse, captationem quasi benevolentiae sub initium capitis præmittit, quando anathema vult esse a Christo pro suis fratribus v. 3. *Optarim enim ipse ego anathema esse a Christo pro fratribus meis, cognatis, inquam, meis secundum carnem.* Hinc equidem constat, Apostolum insinuare statum Judæorum tristissimum æque ac periculosissimum in ultimum tandem & sempiternum exitium abiturum. Negamus tamen his verbis eam inesse sententiam & hoc argumentum, de Judæis omnibus absolute reprobatis. In hac opinione fuit PISCATOR, qui in *Analyfi Cap. IX. ad Rom.* summam priorum quinque versuum hanc esse statuit: *Ego Paulus ex animo doleo, quum video, maximam partem Judæorum Evangelio non credere, quumque confidero, eos ideo credere non posse, quod sunt a DEO rejecti ac reprobati atque ad exitium destinati.* Sed enim vero subjecti statum ostendere, non est thesin formare & scopum. Accedit, quod *divina* in Scripturis malum pœnæ ob malum culpæ gravissime designet, quemadmodum ex 1. Corinth. XVI, 22. Gal. 1, 8. 9. patet. Nequaquam vero arguit absolutam reprobationem. Et posito, non concessio, hac phrasi reprobationem significari, absolutam tamen negamus; si quidem de iis, qui juxta Cap. XI, 23. non destituuntur omni spe salutis, usurpatur.

§. XXXIX.

§. XXIX.

Progreditur Apostolus & respondet ad Judæorum objectionem de irritis factis promissionibus DEI. Docet enim, non omnes secundum carnalem generationem ab Abrahamo, vel ab Israëlè seu Jacobo descendentes propterea veros Israëlitas esse: οὐ δ' ὅτι ἐστὶ σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα. Neque filios Abrahami secundum carnem continuo esse filios DEI. Qua de causa duplex adducit exemplum, ut clarior res fieret. Prius desumit ex familia Abrahami, qui duos habuit filios, Ismaëlem & Isaacum, utrumque secundum carnem ex eo genitum. Ait enim v. 7. 8. 9. οὐ δ' ὅτι ἐστὶ σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα, ἀλλ' ἐν Ἰσαάκ κληθήσεται σοι σπέρμα. τῆς ἐστίν, ἢ τὰ τέκνα τῆς σαρκός, ταῦτα τέκνα τῆ θεῶ, ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας λογίζεταί εἰς σπέρμα. Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος ἔτος, κατὰ τὸν καιρὸν τῆτον ἐλίυσσεται, καὶ ἔσται τῆ σαύρα υἱός. Demonstratur his verbis, quod solus Isaacus gratiosi fœderis & promissionis factus fuerit participis, ob gloriationem prerogativæ carnalis prævisam, exclusus Ismaelitis a fœdere, a promissione & cœtu diviniore. Id ipsum tamen nil derogavit impletioni & firmitati promissionum divinarum, quæ, etiam si non impletæ fuerint in his, tamen adimpletæ fuerint in filio promissionis i. e. in Isaaco, ad quem promissionis verbum ex gratia Dei spectabat, quod hac ratione nequaquam exciderit vi sua, aut irritum factum fuerit. Pari prorsus ratione promissio de Justitia per Messiam impetranda non pertinet solummodo ad Abrahæ posteros secundum carnem, sed ad filios etiam promissionis i. e. ad filios spirituales per verbum & Sacramenta in Ecclesia regenitos & a Deo adoptatos, Pl. XXII, 31. Ef. LIII, 10. Gal. III, 7. 9. 29. Carnali enim generatione sola dignitatem υἱοθεσίας nequaquam acquiri. Vide plura apud Dn. PRAESID. in *Observat. S. p.* 48. 59. Ne tamen objiceretur, Ismaëlem, ex ancilla natum, ob vitæ impietatem dignitate filii & hæredis excidisse, ad exem-

exemplum *posterius*, desumptum ex Isaaci profapia, ad Jacobum scilicet & Esavum, quorum uterque ex iisdem parentibus natus erat, provocat, v. 10. 11. 12. 13. scribens: *Non solum autem hoc* cum duobus filiis Abrahami, Isaaco & Ismaële ita est comparatum, *sed & Rebecca* hoc ostendit exemplo suo, *cum ex uno concepisset*, nimirum Isaaco Patre nostro. *Nondum enim natis Esavo & Jacobo, cum non fecissent quicquam boni vel mali, ut illud secundum electionem DEI propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei,* (sc. Rebeccæ) *ὅτι ὁ μείζων ἀγαπήσει τὸ ἐλάσσονι* Genes. XXV, 23. *quod Major serviet Minori: καθὼς γέγραπται, τὸν Ἰακώβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἔσάυ ἐμίσησα.* Malach. 1, 2. 3. *sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau vero odio habui.* Confirmat igitur verbis hisce Apostolus, quod dixerat de Isaaco Ismaëli prælato, declaraturus scilicet, quod in promissionibus Dei non ad carnalem prærogativam attendatur. Nec irritas propterea factas esse Dei pollicitationes, quando exclusi dicuntur Esavi, natu majoris, posteri a iuribus primogenitorum, subjectique nepotibus Jacobi, qui præ Esavo multas atque insignes nactus fuit prærogativas. Verba vero Apostoli, *cum neuter quidquam boni malive fecisset*, intelligere debemus, non de negatione fidei in Jacobo prævisæ, sed de negatione respectus ad prævisam Jacobi præ Esavo probitatem. Dein Apostolus non *absolute*, quod nihil boni malive perpetraverint, sed *relate* ad Jacobi electionem, loquitur. Neuter aliquid boni aut mali fecerat, cuius gratia Jacobus Esavo ex dignitate præponi potuisset. Ambo enim in peccatis nati erant, Psalm. LI, 7. Neque etiam phrasıs *κατ' ἐκλογὴν* designat absolutam propositi causam, sed explicari debet *objective*, secundum electionem, ut præter alios VARENIUS ad h. l. annotavit. Quandoquidem propositum ad finem tendit, electio vero constituit medium transferendi in Jacobum beneficia. Atque hæc non ex operibus, sed *ex vocante* esse dicitur. Vocans autem est Deus, qui promisit Jacobo ver-

bis

bis ad Rebeccam factis: *Major serviet minori*, gratiam, ex qua jus primogenituræ ad eum, stante promissionis Abrahamo factæ, de Messia donando, veritate, deveniebat, juxta dictum Domini: *Major serviet Minori*, sicut scriptum est: *Jacob dilexi, Esau vero odio habui.*

§. XXIX.

Utrumque oraculum ex Mose & Malachia a Divo Apostolo Paulo recitatum accuratiore dignum est evolutione & consideratione in sede propria. Ex utriusque enim recta intelligentia valde illustrari & elucidari possunt verba Apostoli, ab adversariis in nequiores sententiam abrepta & detorta. Quæ de priori loco Mosæico antea attulimus, in præsens non repetemus, istud tantum inculcaturi, quod verba: *Major serviet Minori*, non debeant explicari de nationis utriusque conditoribus, nihil obstante verborum significatione impropria, utpote quam a stylo SS. non alienam deprehendimus, ceu constat ex Genes. IX, 27. XXXV, 11. Hebr. VII, 5. 10. Similia exempla abunde suppeditat librorum sacrosanctorum lectio. Confer GLASSIVM *Rhetor. S. Tr. I. C. I. n. 1. p. 1431.* Accedit, quod ipse eventus satis comprobarit, non agi de personis, sed de posteris Esavi & Jacobi in illo oraculo. Quemadmodum itaque inde manifestum est, in hoc textu nec de Jacobi & posterorum ad vitam æternam electione, nec de Esavi & familiæ ejus reprobatione præcise agi: ita e contrario ex universo contextu patet, de beneficiis quibusdam temporalibus in Jacobum & posteros transferendis sermonem haberi, neque quicquam quoad literam de electione aut reprobatione absoluta hic deprehendi.

§. XXX.

His, ut par erit, expeditis, accedimus ad lustrandum posterius effatum, quod v. 13 ita fluit: *καθὰς γέγραπται τὸν Ἰακώβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἰσαὺ ἐμίσησα.* Unde autem rectius hauriemus horum verborum sensum genuinum, quam ex ipso fonte, unde Apostolus ea derivavit? Exstant ea in va-

E

ticiis

viciniis Malachiae *Cap. I. v. 2. 3.* & ita se habent: *Dilexi vos, dixit Dominus. Et dixistis: in quo dilexisti nos? Nonne frater est Esau Jacobi? dixit Dominus, & dilexi Jacob, & Esau odio habui: & posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus pro draconibus deserti.* Hic duo inprimis probe notari merentur. Primo, quod per amorem DEI illa Numinis beneficentia intelligatur, qua Israelitas Idumæis, quoad temporalia beneficia, præposuit, quemadmodum ex historia Jacobi & Esavi posterorum, quo hæc verba spectant, sæpe demonstratum fuit. Quod vero prærogativam ejusmodi temporalem hic DEI amor tantummodo designet, haud obscure patescit etiam ex v. 3., ubi simul de beneficio quodam singulari, specialique divini amoris testificatione Propheta agit, scilicet de reductione Judæorum ex captivitate Babylonica, relictis maximam partem in eadem Edomæis. Et vatis quidem divini institutum eo tendit, ut notabilis valde effectus promissi amoris doceretur, & Judæis inprimis turpissima ingratitude, qui, neglectis spretisque divinis beneficiis, DEUM nec amore, neque timore ac vero cultu animitus prosequerentur, validius exprobraretur. Hujus enim criminis in tota illa Prophetia a Deo accusantur. Deinde observamus, odium illud vi oppositorum, posthabitu, quo DEUS non præposuit, sed postposuit Esavi posteros Jacobi posteritati, de externis tantum prærogativis intelligendum esse. Hæc odii significatio in sacris literis non infrequenter occurrit *Deut. XXI, 15. Prov. XIII, 24. Matth. VI, 24. coll. X, 37. Luc. XIV, 26. Jo. XII, 25.* Hanc autem odii acceptionem hic etiam obtinere, manifestum est ex historia Esavi, quam in antecedentibus paulo prolixius enarravimus. His, quæ ad nostrum institutum spectant, brevissime expositis, haud difficulter constat, loqui DEUM per Malachiam de prærogativis, quoad temporalia, Israelitis ex Jacobo ortis, præ Esavitico populo concessis. Atque hanc genuinam esse hujus loci explicationem, indubitanter colligo ex Apostoli verbis; *Sicut scriptum est.*

Ubi

Ubi ex connexionis particula patet, Apostolum hunc locum allegasse ad oraculi confirmationem, quod ex Genesi in antecedentibus citatum erat. Proinde amor DEI non potest aut debet explicari de absoluta electionis gratia. Nec odium illud adversus Esavum absolutam rejectionem aut reprobationem Idumæorum ad sempiternum interitum evincit. Nam si posteritas Jacobi absolute fuisset electa, contra Esavi progenies absolute reprobata, illud sequeretur absurdum, quosvis Israëlitæ, quomodocunque demum viventes, salvatos, ex adverso autem omnes Esavi posteros damnationi adjudicatos fuisse, id quod tamen Apostoli scopo & sacris Scripturæ testimoniis magnopere adversatur, quemadmodum supra indicavimus. Silentio prætermitto, quod affectus, quales in hominibus deprehenduntur, non cadant in essentiam Dei purissimam, sed ex similitudine effectus judicari debeant. Ac propterea nimis audacter, ne dicam absurde, concludunt, qui absolutam rejectionem Esavi ad mortem tanquam effectum odii divini erga eum, stabilire conantur, cum tamen idoneis argumentis probari nequeat, Esavum damnatum esse. Obelo igitur confodienda putamus, quæ præter MARCKIUM, aliosque Reformatos, ex Pontificiis DIONYS. CARTHUSIANUS ad Rom. IX. notavit: *Diligere DEI est velle alicui bonum conferre, odisse vero est velle gratiam juste subtrahere. Cum ergo DEUS prædestinavit Jacob, dilexit eum ab æterno, præparans ei gratiam in præsentia, & gloriam in futuro: ex opposito autem dicitur Esau odire.* Cui assentiuntur etiam PERERIUS in Gen. XXV. & Rom. IX. SALMERON. in Rom. IX. disp. 4. BELLARM. lib. de Amiff. gratiæ c. 8. FR. LUCAS BRUGENSIS ad Matth. XI. 26. p. 170. Quæ omnia si accuratius paulo considerentur, nos convincunt, remque reddunt manifestam, contrariæ sententiæ propugnatores ab Apostoli scopo longissime excidisse. Quin & ex ipsius Apostoli scopo & descriptorum exemplorum ratione clarissime apparet, ne typice quidem hoc in loco de absoluta electione ad vitam æternam vel re-

probatione ad sempiternum exitium, quemadmodum multis visum fuit, sermonem esse. Typus equidem est Jacobus, non tamen absolutæ electionis ad vitam æternam. Electus quippe dicitur ad primogenituræ jus & beneficia tantum temporalia. Et hoc absolute quidem ratione meriti aut dignitatis, haud vero citra respectum ad fidem ejus prævisam. Typus etiam est Esavus, qui ob confidentiam in prærogativam carnalem ex debito primogenituram appetebat, sed rejiciebatur, scilicet a beneficiis temporalibus sive a primogenitura, non vero absolute, sed ob vanam, quæ modo designata est, fiduciam. Antitypus conspicitur in Judæis ex altera parte, qui carnali generationi, quod sint filii Abrahami & non opus habeant regeneratione ac fide, confisi atque per opera legis justiciam sectantes, rejecti, & a justitia per Christum impetranda exclusi fuerunt, non ex decreto absoluto ac merito Dei beneplacito, sed propter impenitentiam inexpugnabilem, finalemque ἀπιστίαν. Antitypum ex altera parte constituunt Gentiles, qui sub Jacobi imagine representati per verbum & Sacramenta filii promissionum spirituales geniti, veram ac coram tribunali divino valituram justiciam, & quidem per fidem in Christum, ut semen Abrahamo promissum, consecuti sunt.

§. XXXI.

His ita se habentibus, salva manet Apostolica demonstratio, promissiones Abrahamo factas non excidisse. Nervus argumentandi scilicet a minori ad majus, sive a beneficiis temporalibus ad spiritualia, tam accurate procedit, ut nihil amplius restet, quod validam & justam rationem ulterius dubitandi excitare possit. Potius pro concessa nobis gratia Trinuni Deo humillimas gratias referentes, toto precamur animo, ut nos hæredes vitæ æternæ scriptos, tandem ab omni malo liberet, & in cœlestem gloriam translatis, largos ac sempiternos sui amoris fructus nobis concedat.

S. D. G.


08 A 6423

Sl

R

LDIA

Hi. 75.





8
DE
ODIO DEI
ADVERSUS ESAVVM,

AD LOCA
Rom. IX, 13. Genes. XXV, 23. & Mal. I, 3. 4.

A
JO. MARCKII, ALIORUMQUE CORRUPTELIS
VINDICANDA
PRÆSIDE

DN. SALOMONE DEYLINGIO,
SS. THEOL. DOCTORE ET PROFESS. PUBL. ORD. CAPITULI
CIZENSIS CANONICO, CONSISTORII ASSESSORE, NAT.
MISNICÆ SENIORE, AD D. NICOLAI PASTORE
ET SUPERINTENDENTE,

PATRONO AC PRÆCEPTORE PERPETVO
HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

IN AUDITORIO THEOLOGORUM
AD D. XXV. JANUAR. A. R. S. MDCC XXIV.

AUCTOR RESPONDENS
M. JOANNES Gottlieb Hoffmann/
SORBIGA-MISNICUS, S.S. THEOL. CULTOR
PUBLICÈ DISPUTABIT.

L I P S I Æ,
TYPIS ANDREÆ MARTINI SCHEDII.

Sit: J. G. Hoffmann
Dr. J. G. Hoffmann

